

compescendo. Ac censuras ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando: interdictum ponendo, inuocato ad hoc [si opus fuerit] auxilio brachij secularis. Tandem fortissimas non obstantias apponit. Non obstantibus [inquit] quibusvis Apostolicis, ac in Prouincialibus ac synodalibus Conciliis, editis Generalibus, vel specialibus constitutionibus, ordinationibus, & consuetudinibus iuramento, vel quavis firmitate alia roboratis. &c. Hoc Breue habetur authenticum in Monasteriis trium Ordinum, Sancti Dominici, Sancti Augustini, & patris nostri Francisci.

10 ¶ Circa hanc concessionem multa sunt aduertenda. Primo, quod Philippus Secundus Hispaniarum Rex Catholicus hoc indultum procurauit, & impetrauit à Sede Apostolica, ut Fratres Mendicantes non obstante Concilij Tridentini prohibitione possint sine Episcopi licentia, uerbum Dei predicare, ac secularium personarum Confessiones audire, & alia Sacramenta administrare, ut patet in supplicata Pontifici ex parte Philippi proposita. Ex quo non modicos, sed maximos fructus ad fidem Catholicam propagationem fecerunt: & ut illi ad uerberiores fructus in dicta conuersio-